

qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres
aut cistam effractam et subducta viatica plorat,
nota refert meretricis acumina, saepe catellam, 55
saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
nec semel irrisus triviis attollere curat
fracto crure planum. licet illi plurima manet
lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim: 60
'credite, non ludo; crudeles, tollite claudum!'
'quaere peregrinum!' vicinia rauca reclamat.

18

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
scurrantis speciem praebere, professus amicum.
ut matrona meretrici dispar erit atque
discolor, infido scurrae distabit amicus.
est huic diversum vitio vitium prope maius, 5
asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
dum vult libertas dici mera veraque virtus.
virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
alter, in obsequium plus aequo pronus et imi 10